

40

illius *Petri Severini* Nepos ex Filia sequutus est. quos tamen omnes prævit litteraturæ tum solidioris, tum politioris Antistes *Ioannes Rhodius* Civis honorificentissimus vester, per quorum plerisque nobiscum jam coalitos, ac tantum non Italicos viros, interpretes, aut proscenetas benignos, tuas ad me quæso litteras dederis; dederisque dono nobile quodpiam tuum monumentum, sed inter omnia maximè spectatissimæ tuæ speciei simulacrum felicibus chartis expressum, quod in dies revereri, venerari, exosculari pro dignitate queam. Interim mitto meum hypomnima de fungifero, & fungi mappa ludo naturæ utroque non contemnendo, mox autem ingenti sedulitati circa naturam tuæ paro mittenda complura, quæ de toto hoc genere apud me collegerit *D. Bartholinus* istarum rerum Venator sedulus, qui reculas hæc commemoratas delaturus est. Vale jam feliciter, & *Severino* tibi deditissimo favere deinceps assuesce. Neapoli Campaniæ Kal. Iul. M. D. C. XLIV.

F I N I S.